

Albereda, signora di Colobrarò e Policoro

F 22

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Albereda, signora di Colobraro e Policoro

F 22

1122-07

Misericordie et caritatis operibus Dominus noster nos hortatur insistere, qui vera caritas est et cuius miseratione tota terra repletur. Quam ob rem ego Albereda Colubrarii Pollicoriquedomina,

pro meorum defunctorum parentum animarum remedio, Robberti Guiscardiducis invictissimi, bone memorie viri, dominique Bohamundi necnon Roggerii de Pomareda karissimi mei quondam viri, dominique Ugo di Chiaromonte, pro meorum quoque delictorum remissione dominique Alessandro di Chiaromonte, suique fratris domini Riccardo di Chiaromonte, meorum videlicet nepotum, presentia subscriptorum bonorum hominum testium, dono et offero Deo et ecclesie beate Sancte Trinitatis de Cava et tibi domino Petroni venerando abbati ipsius prenotate ecclesie omnibusque tuis successoribus necnon tibi domno Falconi beate Marie semper virginis reverendo priori, huius beneficii exquistori, de Kyrizosimo, ecclesiam beati Nicolai Peratiky, cum omni sua substantia, videlicet stabilium mobiliumque rerum seseque moventium, et cum omnibus sibi pertinentibus suisque congruis usque ad viam publicam, ut amodo et in perpetuum potestatem habeatis tu prenominate domine Petro abbas tuique successores illam tenendi refudiandi, dominandi et omnia ex illa faciendi quomodo vobis placuerit pro utilitate et beneficio vestre matris ecclesie, absque omni mea meorumque heredum seu successorum contrarietate vel molestia; et cum istis offerendo concedimus suprascripte ecclesie Sancte Trinitatis tibi que prenotato domno Petroni abbati et tuis successoribus Iohannem notarium cum duobus filiis Ricchardo et Leone cum omnibus illorum rebus, sic tamen ut ipsi sui filii,

quoad vixerint, sint absoluti ab omni servicii vinculo, sicut et apud nos libere vivebant. Si quis autem huius mee oblatione et donatione humilitatis frangere vel evacuare in aliquo temptaverit, primo omnium eterne maledictionis vinculo innodatus subiaceat, et insuper quinquaginta purissimi auri libras supra nominate venerabili basilice Sancte Trinitatis, succedentibusque ipsius regimini, persolvat, hac mea donatione inconcussa illibatque perseverante. Unde et pro securitatis atque stabilitatis causa hanc cartam meo notario Iohannitio scribere precepi et cum meo sigillo bulla cerea sigillari, in qua etiam signum Sancte et vivifice crucis propriis manibus subnotavi.

Anno videlicet Dominice incarnationis millesimo centesimo vicesimo secundo, mense iulio, indictione quintadecima. # Hoc signum Sancte fecit domina Albereda crucis propriis manibus doni huius largitrix. # Hoc signum Sancte et vivifice crucis fecit Guiselmus de Monte propriis manibus. # Hoc signum Sancte et vivifice crucis fecit Robbertus de Bethlee huic donatione qui interfuit. # Hoc signum Sancte et vivifice crucis fecit Gualterius de domina Columba propriis manibus huic donatione qui interfuit. # Hoc signum Sancte et vivifice crucis fecit Gualterius de la Mandra propriis manibus huic donationi qui interfuit.